



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. V. Utrum gratia habitualis aliquam maiorem vim, vel dignitatem ad
hominem gratificandum ex Christo habeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

ab ipsa natura, seu gratia, & posterior illa, & pendens ab influxu libero Dei nouo, & distincto, quem potest Deus pro sua libertate, & supremo dominio suspendere, ergo facile potest gratiam dare, & gloriam perpetuo negare, seu, quod perinde est, ad illam non acceptare. Quod non solum est verum de gratia, quæ est in essentia animæ, sed etiam de habitibus potentiarum, ac de ipso lumine gloriæ, nam etiam post infusionem luminis gloriæ, potest Deus non concedere personæ visionem sui, suspendendo concursum. Si ergo sub gloria per denominationem grati includatur acceptatio actualis testis Dei non ad gloriam, sic fieri potest de potentia absoluta, vt concedere homo sit qualitate gratiæ affectus, & non plene gratus, vt sic dicat. Et idem fere est de denominatione filii, & heredis, posset tamen ille homo in illo statu dici filius exheredatus voluntate Patris, quia ratione gratiæ non posset non habere participationem diuinæ naturæ, & secundum illam esse genitus, ac proinde aliquo modo filius, & de se heres, ab hereditate tamen exclusus, quia supponitur ad gloriam non acceptatus.

Vna vero difficultas Theologica superest circa hanc vltimam partem, nam sequitur, hominem non gratificari perfecte, & integre per dona inherencia sine aliquo fauore extrinseco: consequens non videtur admittendum, ergo. Sequela patet, quia homo non est perfecte gratus, nisi sit acceptus ad beatitudinem, & perfectam amicitiam Dei, sed hoc non habet per sola intrinseca dona, nisi addat Deus extrinsecam acceptationem, quæ tantum est quidam extrinsecus fauor, ergo. Minor probatur, tum quia illud videtur non nihil accedere ad errorem hæreticorum huius temporis, tum etiam quia videtur parum consentaneum Concilio Trident. nam dicit, hominē perfecte iustificari per inherentem gratiam, quod non esset verum simpliciter, si præter inherentem gratiā esset necessarius aliquis fauor extrinsecus, saltem ad perfectionem illius effectus. Præsertim quia addit Concilium, gratiam inherentē esse vnicam formalem causam, non esset autem vnicā, nec integrā, si aliquis fauor necessarius esset. Deniq; addit, merita Christi communicari iusto per infusionem iustitiæ, & indicat per solam illam id fieri, hoc autem absolute non esset verum, si per illum fauorem, seu per illam acceptationem etiam applicarentur.

Respondetur in primis, Concilium Tridentinum, nunquam negasse, Deum conferre iustis peculiarem aliquem fauorem præter iustitiā inherentis infusionem. Nam in canon. 11. definit, iustificationem non consistere in solo extrinseco fauore Dei, quod longe diuersum est, vt constat. Quin potius in aliis locis docet, Deum ita se habere cum iustis, vt eos non deserat, nisi deseratur ab ipsis, vt patet in ca. 11. constat autem hunc esse peculiarem fauorem. Item promissio acceptandi opera iustorum, vt merita gloriæ, & iustitiæ, fauor quidam est, cuius meminit idem Concilium c. 16. Deniq; habet Deus peculiarem protectionem iustorum, tractando illos vt amicos, & domesticos ex cap. 10. & 13. quod etiam est peculiare beneficium. Ergo eodem modo actualis acceptatio ad gloriam esse potest peculiare beneficium ista distinctum ab infusione habituum, vt ab illis de potentia absoluta separabile sit.

Deinde dico, quod licet hæc acceptatio dicatur extrinseca, quatenus est per actum ipsius Dei, tamen non potest dici extrinsecus fauor, tum quia est debitus ipsi gratiæ inherenti, & quasi connaturalis illi, tum etiam quia non consistit in sola extrinseca denominatione, aut imputatione, sed ordinatur ad futurum effectum realem, & intrinsecum, aliquando ratione inherenti gratiæ conferendum. Et ob hanc causam non computatur hoc beneficium, vt distinctum omnino ab ipsa gratia, nam qui dat formam, dat consequentia ad formam, totumque illud tantum vnum beneficium censetur. Et eodem modo in iustificatione est vna applicatio quæ ad quatuor, &

integra meritorum Christi, quauis sine dubio ad plures effectus quasi pariales applicantur, vt constat de donatione fidei, spei, charitatis, &c. Vnde dicitur vltimò, hanc acceptationem non esse propriè complementum, vel perfectionem sanctificationis iustorum, sed potius esse finem, & quasi fructum eius, saltem in spe, & acceptatione diuina, iuxta illud ad Ro. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificatione finem autem vitam æternam.* Quid autem de iustificatione dicendum sit, postea videbimus.

CAPVT V.

Vtrum gratia habitualis aliquam maiorem vim vel dignitatem ad hominem gratificantem ex Christo habeat?

Priusquam de hac gratia dicamus, vt habet rationem iustitiæ, de qua solet similis quæstio potissimum tractari, visum est eandem quæstionem de gratia, vt hominem gratum, & filium Dei constituit, differere, quia peculiarem habet rationem, & conferre potest ad ita loquendum in hac materia, vt & ab hæreticis fugiamus, & Christi, ac membrorum eius dignitati nihil derogemus. Duo igitur modi dicendi extreme oppositi in hoc puncto esse possunt. Vnus est, habitualem gratiam per se spectatam non esse sufficientem formam ad constituendum hominem gratum Deo, nisi simul cum illa moraliter coniungatur gratia Christi, & per quandam moralem æstimationem, aut imputationem reddat illam digniorem, & inde aptam ad hominem Deo gratum, & filium adoptiuum constituendum. Hunc modum dicendi sumunt aliqui ex Albert. Pighi. controuers. 2. non longe à principio: ille tamen sub nomine iustitiæ, & iustificationis loquutus est, & ideo in capite sequenti eius sententiam expendemus, quam etiam Colonenses Canonici in Antididagmate sequuti sunt.

Potest vero hic dicendi modus suaderi, quia si sola gratia sine Christo fuisset sufficiens ad nos Deo gratificandos, gratis Christus mortuus esset. Nam argumentum, quod Paulus facit de naturali, vel legali iustitia cum proportionem habet vim in quacumq; gratia, seu qualitate gratificante animā, quia posset Deus facile illam infundere sine Christo, & non minus gratū redderet hominem, ergo gratis, id est superflue, & sine causa nobis datus esset Christus, ergo dicendum est, gratiam pure creatam non fuisse sufficientem, nisi dignificaretur per coniunctionem ad infinitam dignitatem Christi, & meritorum eius. Confirmatur iuxta probabilem opinionem supra relata, quia eadem gratia potest esse dignior, seu maior in esse gratiæ, seu in esse qualitatis, per quandam coniunctionem ad aliqua merita, vel opera propria, ergo multo magis poterit id habere per coniunctionem moralem ad gratiā, & merita Christi. Confirmatur secundo, quia ipsa Christi gratia habitualis habuit quandam infinitam dignitatem propter coniunctionem ad vniōem hypostaticam, ergo & nostra gratia habebit aliquam dignitatem propter aliqualem coniunctionem cum illa.

Alter modus dicendi est nullam dignitatem accreuisse gratiæ sanctificanti, quæ nos reddit gratos, & Deo acceptos, ex eo, quod per Christum, & eius merita nobis donetur. Quod potest primo à priori suaderi, quia nostræ gratiæ, vt est à Christo, solum accreuit respectus ad ipsum, vt ad causam extrinsecā exēplarem, efficiētem, vel meritoriam eius, sed hic respectus nihil dignitatis illi addit in ratione formæ gratificantis, neque in alio genere moralis dignitatis, ergo. Maior probatur, quia supponimus comparisonem fieri cum æqualitate inter gratiam datam per Christum, vel sine illo, id est, cæteris omnibus paribus in gradu intensiōis, & in habitibus infusis, & in actibus, per quos obtinetur: hæc enim æqualitate supposita, nihil intelligi

6. Theologica difficultas.

7. Tridentina Synodus exponitur.

8. Alter solus vniuersalis difficultas.

1. Status, & occasio huius quæstionis.

Duplici modo hac in re procedi potest. 1. modo.

2. Suaderetur ille 1. modus dicendi.

1. Confirmatio.

2. Confirmatio. à parte rationis.

3. Secundus oppositus, quod modus dicendi.

Confirmatio.

4. Distinguen- dum in hoc puncto.

Affertio. 1.

Effectus gra- tia non au- getur per habitudine ad Christi merita.

Explicatio superioris rationis.

5. Affertio. 2.

intelligi potest additum gratia ex eo, quod sit per Christum, nisi respectus ad illum, tanquam ad extrinsecam causam. Minor autem, scilicet, inde non oriri specialem dignitatem, patet, quia hoc non reddit hominem meliorem, ergo nec magis dignum amore, ac subinde nec magis gratum. Et confirmatur primo, quia alias integra forma, qua reddimur grati Deo, non esset nobis intrinseca, & infusa, sed ex parte esset ipsa extrinseca sanctitas Christi: hoc autem videtur esse contra mentem Concilii Tridentini sess. 6. cap. 7. ubi nostra iustificatione Christum excludit a causalitate formali, & alias illi tribuit, solumque inherentem unicam formalem causam esse dicere, idem autem est de causa nostra gratificationis, & adoptionis: nam Concilium indifferenter his terminis utitur. Confirmatur secundo, quia alias sequeretur, hominem habentem gratiam ut duo per Christum esse magis gratum, quam sit alius habens eandem duos gradus gratia omnino gratis a Deo datos sine Christo, & consequenter illum esse acceptum ad maiorem gloriam, quam illum, quod non videtur credibile.

In hoc puncto breuiter distinguendum videtur de gratia, quoad effectum formalem sanctificandi hominem apud Deum, constitucendo eum Deo gratum, & amabilem, seu acceptabilem ad vitam eternam, & ad diuinam amicitiam quoad substantiam eius (ut sic dicam) & de gratia quoad alios effectus, vel fauores quali accidentarios, & extrinsecos, qui prouenire possint ex quadam extrinseca dignitate, qualis est inter homines nobilitas, vel relatio ad parentem, vel amicum. Dico ergo primo. Gratia habitualis, vel est forma intrinsece inherens animae, ita confert naturae suae homini esse gratum Deo, & acceptabilem ad aeternam, ut sola hunc effectum plene, & adequate conferat, iuxta gradus physicos suae perfectionis, ita ut sub hac ratione nihil illi accrescat ex eo, quod per Christi merita nobis conferatur. Hanc assertionem existimo certam, & eam probant, quae secundo loco adduximus in gratiam posterioris opinionis, & quae in ca. 1. & 2. ad probandum, hominem fieri gratum, & filium per intrinsecam formam gratiae secundum connaturalem, ad phylicum effectum formalem eius allata sunt. Nam illa probant, talem effectum non posse esse a forma extrinseca, nec totaliter, nec partialiter, ac proinde non posse augeri per habitudinem ad extrinsecam gratiam, vel merita Christi. Et explicatur in hunc modum: nam gratia confert hos effectus quatenus est singularis participatio diuinæ naturae, ut explicuimus. Sed hac participatio non est maior propter respectum ad Christum, si alioqui ipsa qualitas gratiae aequalis est, ergo propter solum illum respectum formaliter sumptum non crescit gratia quoad effectum formalem, ac subinde, simpliciter loquendo, non facit magis gratum Deo, nec acceptum ad maiorem gloriam. Et confirmatur primo, quia sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, sed homo non fit gratus Deo simpliciter propter extrinsecam imputationem gratiae Christi, sed quatenus propter Christum interna gratia homini confertur, ergo nec fit magis gratus propter solum Christum extrinsece consideratum, sed quatenus ab illo manat maior interna gratia. Unde fit, ut sicut ad gloriam Christi non pertinet, ut faciat nos gratos per solum imputationem suae gratiae, ita nec spectat ad illius dignitatem, aut gloriam, quod per imputationem extrinsecam suae gratiae magis grati reputemur, sed ut per maiorem gratiam, propter ipsum datam, vere, & in nobis meliores efficiamur. Denique gloria homini data per Christum, vel sine Christo non facit hominem magis beatum, si alioqui lumen gloriae, & visio sunt aequalia, ergo idem dicendum est de gratia.

Dico secundo. Quamuis habitualis gratia in ratione gratiae, vel amicitiae non constituitur, vel com-

pleatur per fauorem extrinsecum, vel per iustitiam Christi formaliter, nihilominus haec gratia, quatenus in nobis est ex Christi meritis, & in eis fundatur, quādam moralem dignitatem, & aestimationem participat, ratione cuius aliquos veluti accidentales effectus morales in hominibus iustis habere potest. Primo declaratur assertio ex verbis Concilii Tridentini dicto c. 7. dicentis, iustos per iustitiam, quam in se recipiunt, inseri Christo, & fieri vera membra eius: hoc enim non conuenit gratiae habituali ex sola intrinseca eius natura, ut per se constat, est ergo ex diuina ordinatione, qua statuit non iustificare homines, nisi in fide Christi, & propter meritum eius: est autem moralis dignitas, seu honor iustorum, ut Christo inferatur, & sint membra eius, ergo etiam gratia, quatenus est gratia Christi, seu ex Christo, habet peculiarem dignitatem, & aestimationem moralem. Minor ostendi potest ex verbis Leonis Papae Sermon. 1. de Natiuitate in tenet est a fine. Agnosce, d. Christiane, dignitatem tuam, & diuina con- fessio factus natura nolum veterem vilitatem degenerare conuer- satione redire. Memento, cuius capitis, & cuius corporis suem digna membrum. Confirmat hoc Oecumen. 2. Petr. 1. circa illa tamen verba. Per haec efficiamini diuina consortes naturae, ex- Confirma- tiens hoc consortium factum esse, per Domini, ac Deum ex Om- adueniunt, qui nostra natura primitas in seipso assumpsit, men- & assumendo sanctificauit. Sentiens, inde peculiarem dignitatem in Christi membra redundasse. Unde hoc etiam confirmat doctrina Gregor. Homil. 8. in Confirma- Euang. dicentis Angelum prohibuisse Ioannem, ne tur ex Gra- se adoraret Apocalyp. 9. quia Angeli, inquit, naturam ger- nostram, quam prius despuerant, postquam hanc supra se constitutam conspiciunt, prostrati sibi videre permittunt. Quam rationem habent etiam commentaria nomine Ambrosii, & alii expositores communiter. Et (quicquid sit de expositione loci Apocalypsis, quod ad nos spectat, supponit, ex incarnatione Domini quandam peculiarem dignitatem, & aestimationem moralem in nos redundasse. Et quamuis videatur id esse commune omnibus hominibus, peculiari ratione intelligendum est de iustis, nam illi soli sunt viua membra Christi, & ita soli sunt capaces participandi dignitatem illam: nam ceteri per peccatum sunt indigni, ergo, proportionem seruata, ipsa gratia, qua inferimus Christo, ut etiam participatio gratiae, & meritum Christi, quandam moralem dignitatem assequuta est.

Unde etiam potest congruenter hoc declarari per proportionem ad gratiam Christi supra infusuram. Nam licet gratia habitualis in Christo sit eiusdem rationis cum nostra, nihilominus ex coniunctione ad gratiam viuonem non solum est gratia personalis, sed etiam capitalis quae est peculiaris dignitas, quae accrescit illi ex coniunctione ad Verbum, etiam neque illi addat entitatem physicam, neque illi conueniat ex vi suae naturae. Ergo similiter in membris Christi, propter peculiarem coniunctionem ad ipsum Christum, accedit peculiaris dignitas ipsi gratiae, quatenus illam coniunctionem perficit, faciendo viuum membrum Christi. Accedit, quod ex meritis Christi fit, ut haec gratia non solum sit gratia respectu nostri, id est, gratia data, sed etiam sit iustitia respectu Christi, quia est praemium meritorum eius, hoc autem spectat ad hominis dignitatem, scilicet sanctificari per influxum sui capitis, & alterius hominis. Sicut habere beatitudinem, ut coronam iustitiae, est peculiaris honor, quamuis essentialis rationem, aut perfectionem beatitudinis non augeat.

Tandem probabile est gratiam, prout fundatur in Christo, & meritis eius, esse principium merendi apud Deum perfectiori modo, seu ex iustitia magis propria, ut tractauimus in tom. 3. p. disput. 4. sect. 12. & inferius etiam attingam: hoc autem multum refert ad moralem gratiae dignitatem. Simile argumentum fieri potest de gratia, ut est principium satisfaciendi pro peccatis: nam ut in hac satisfactione Christo innit-

mur, moralis modo magis perfectio per eam satis facimus. Et fortasse, ceteris paribus, idem opus hominis iusti nunc magis satisfactorium est apud Deum, quam si non essemus Christi viua membra per gratiam. Idem argumentum facio de efficacia orationum, quia maior nunc est propter Christum, non solum quando propter illum expresse postulamus, quod est longe certius, sed etiam quando simpliciter postulamus, in eo per fidem viam radicati, & fundati quasi in habitu. Et in vniuersum est mihi verisimilimum, Deum nunc pluribus auxiliis, & fauore benigniori, & maiori prosequi iustos, habentes gratiam per Christum, quam debitum est gratiæ ex natura sua, vel quæ sine Christo eis concederetur, etiam cum æquali gratia habituali. Hoc enim totum est valde consentaneum, & fortasse debitum meritis Christi, & amoris Patris erga ipsum, & in solutionibus argumentorum hoc magis declarabitur.

Ad fundamentum prioris sententiæ negatur sequela, nimirum Christum gratis mortuum esse, si gratia, quæ per illum datur per se, & natura sua, est sufficiens forma, nos gratos, & acceptos Deo formaliter constituens, quia nec illam formam ex nobis habemus, nec secundum statutam à Deo prouidentiam illam sine Christo haberemus. Vnde, ut Christus non sit gratis mortuus, non est necesse, ut eius incarnatio, vel gratia, quam in se habet, vel meritum eius fuerint necessaria in ratione formæ, vel moralis, vel partialis ad nos gratificandum, aut quod Deus de absoluta potentia sua non potuerit vere, & proprios facere si bi gratos intrinsece sine interuentu Christi, seu meritum eius, alioqui omnia media diuine prouidentie ad nos sanctificandum, ut sacramenta, & similia, dicerentur gratis, id est, superuacaneè instituta, quia sine illis posset Deus de sua absoluta potestate aliter gratiam suam nobis conferre: quod falsum, & absurdum esse constat. Satis ergo est, quod ex conuenienti lege, & ordinatione diuina Christus fuerit nobis necessarius ut redemptor, & sanctificator, non in ratione causæ formalis sanctificantis, etiam partialis, sed in ratione causæ meritorie, sine qua habere non possemus sanctificantem formam, vnde sine fundamentum inducitur similitudo ex argumento Pauli, nam Christus non est mortuus, ut nos haberemus iustitiam operum naturalem, vel legalem, & ideo si per talem iustitiam grati Deo, vel iusti esse possemus, gratia Christi mortuus esset, mortuus est autem Christus, ut iustitiam fidei, & gratiæ consequi possemus, utique secundum legem à Deo statutam, & ideo non gratis, sed necessario propter nostram salutem mortuus est. Confirmationes autem positæ ad summum probant secundam assertionem nostram, non vero procedunt contra primam. Quia negamus, gratiam sanctificantem esse posse maiorem in esse gratiæ, id est, in ratione formæ constituentis hominem gratum, & acceptum Deo, quam in esse qualitatis. Imo de facto, & secundum legem non potest acceptari alicuius ad maiorem gloriam, quam sit gratia eius tam gloriæ, quæ in esse qualitatis, quam gratiæ, & quoad hoc idem est status gratiæ Christi, licet sub aliis respectibus quasi accidentariis possit aliunde significari.

Ad argumentum secundæ sententiæ concedimus, gratiam eandem, ex eo quod sit per Christum, non reddere hominem magis gratum, nec magis dilectum intrinsece, neque acceptum ad maiorem gloriam, quod argumentum illud tantum probat. Non exemplum tamen probat, nullam moralem dignitatem accrescere gratiæ per respectum ad Christum. Nam filius respondens, aliquam nobilitatem habet ex relatione ad patrem, & inde aliquem honorem meretur, sicut Beatissima Virgo ex contractu ad filium, & tali relatione ad illum specialem dignitatem consequuta est. Et sponsa nobilitatur per coniunctionem ad personam nobilem, quæ nobilitas in ordine ad effectus morales spectatur, etiam si entitatem, vel qualitatem non addat.

pars 3.

Ita ergo in præsentem fatemur quidem, gratiam ex eo quod sit per Christum, non habere in se maiorem perfectionem physicam, & ita solum addere respectum quendam ad Christum, ille vero satis est, ut propter Christum ipsum in ordine ad aliquos effectus morales secundarios, & quasi accidentarios efficacior, & dignior gratia ipsa reddatur. Eadem fere responsio datur ad primam confirmationem, probat enim priorem assertionem, & non procedit contra secundam. Quia id, quod moraliter dicimus accrescere gratiæ ex habitudine ad Christum, non pertinet ad gratificationem, & sanctificationem quasi substantialem, sed solum ad accidentariam quandam nobilitatem, & efficacitatem moralem, ut explicatum est. Ad secundam confirmationem negatur sequela, quia cum hæc moralis dignitas non pertineat ad formalem effectum gratiæ, non reddit hominem simpliciter magis gratum, nec acceptum ad maiorem gloriam, quam ipsi gratiæ secundum se respondeat, sed solum confert ad alios inferiores, & accidentarios effectus, ut explicauimus.

CAPVT VI.

Vtrum iustificatio sit effectus formalis gratiæ positius, & quid proprie verbum iustificandi, & iustificationis significent?

CIRCA formalem iustificationis effectum huius temporis hæretici dupliciter errant. Primo quatenus à vera iustificatione excludunt omnem verum effectum positium gratiæ, & in sola remissione peccatorum illam constituunt, secundo quia neque ipsam peccatorum remissionem veram agnoscunt, sed fictam per quandam non imputationem, sed de hoc posteriori puncto dicemus inferius, nunc de priori dicendum est. Qui fuit etiam antiquus error Pelagii, nam licet cognouerit gratiam remissionis peccatorum, non tamen intellexit fieri per interioris gratiæ subministrationem, ut dixit Augustinus cum aliis Episcopis Epist. 95. & ideo in Concilio Mileuit. canon. 3. damnatur, quia gratiam ad solam peccatorum remissionem valere dicebat. Et ita Pelagius tribuit hunc errorem Stapleton. libro quarto de Grat. & libro arb. capit. 1. & Vega libro 7. in Trident. capit. 24. ubi immerito refert Vualdensem quasi in hoc Pelagio assentientem, tribuit enim illi, quod dixerit, sine causa fuisse Pelagium damnatum eo quod negauerit, gratiam esse qualitatem, sicut referebat Vviclephus. Nihil enim horum ita inuenitur apud Vualdensem, nam potius ille tom. 3. de Sacramentalibus capit. 1. num. 9. reprehendit Vviclephum, quod excusare voluerit Pelagium, quasi non negauerit qualitatem gratiæ, quæ non possit per se esse, sed in spiritu grato, & contra illud infert, tanquam inconueniens, quod si ita esset, sine causa Pelagius fuisset damnatus: potius ergo intelligit Vualdensis errasse Pelagium, quia veram gratiam inhærentem internam negauit. Est autem discrimen inter hos errores, quia Pelagius in eo fundabatur, quod nullum donum gratiæ neque actuale, neque habituale cognoscebat. Hæretici vero huius temporis, licet non negent omnia interna gratiæ dona, vel actualia, vel etiam habitualia (ut de paucis eorum refertur) nihilominus negant esse sufficientia ad iustificandum. Præcipue vero nituntur in verbo, iustificandi, eiusque significatione propria, & vnica, ut ipsi consingunt. Vnde virtute sic argumentantur: iustificare aliquem solum est illum à peccatis absolueret, ergo iustificatio non est, nisi peccatorum remissio. Consequentiam ut claram supponunt. Antecedens autem probant, tum ex proprietate verbi, quod dicunt esse verbum forense, & nihil aliud significare, nisi aliquem in iudicio absolueret, & innocentem declarare, tum etiam quia hanc significationem, & non

Error duplex hæreticorum.

G

aliam,